

Ecclesiam ipsam sub protectione recipiam;

Ejus bona omnia confirmat.

Nonnullaque enumerat.

Alexander PP. & S. R. E. Card. sub- scriptiones.

Dat. die 14. Maii anno 1179. Pont. anno XX.

Ex Tom. XIII. Cap. 108.

Exordium.

li providentia statuuntur tam in venustate morum quam in stipendiorum firmitate, scripto Sedis Apostolicæ communi. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impræsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis: Plebem S. Georgii cum cappellis & aliis pertinentiis suis, plebem de Concordia cum cappellis & aliis pertinentiis suis, & cappellam S. Petri. Ad hæc ordinatorem, quam de communi vita fratrum cum assensu venerab. fratris nostri Gerardi Episcopi vestri rationabiliter statuitis, auctoritate apostolica confirmamus, & ratam futuris temporibus permanere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. Si qua igitur &c. Cunctis autem &c.

- EGO ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episc. Episc. Ego Ubaldu Osiensis Episc. s.
- Ego Theodinus Portuensis, & S. Rufinæ Episcopus s.
- Ego Petrus Tusculanus Episc. s.
- Ego Henricus Albanensis Episc. s.
- Ego Jo. Presb. Cardinalis Sanctorum Joannis & Pauli tit. Pammachii s.
- Ego Joannes Presb. Cardinalis tit. sanctæ Anastasiæ s.
- Ego Petrus Presb. Cardinalis tit. S. Susannæ s.
- Ego Vivianus Presb. Card. tit. S. Stephani in Cœlio monte s.
- Ego Ugo Presbyter Cardinalis tit. sancti Clementis s.
- Ego Arduinus Presb. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem s.
- Ego Jacintus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin s.
- Ego Ardicio Diac. Card. S. Theodori s.
- Ego Bernardus Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano s.

Datum Laterani per manum Alberti S. R. E. Presb. Card. & Cancellarii. IV. Nonas Maii Incarn. Dom. anno MCLXXIX. Pontif. SS. D. Alexandri anno XX.

XCIX.

Confirmatio bonorum, jurium, ac privilegiorum S. Colonien. Ecclesiæ: cujus Canonicis Dalmaticæ ac Mitræ usus conceditur.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Philippo Colonienfi Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuam memoriam.

Et si teneamur omnibus fratribus & Coepiscopis nostris ex administratione suscepti regiminis apostolicum patrocinium exhibere; his tamen specialiter adesse compellimur,

qui sicut dignitate, ita præminent & virtute: cum nostræ sollicitudinis debeat, & circumspersionis existere, ut universos juxta qualitates personarum & merita respicere videamur. Eapropter, venerabilis in Christo Archiepiscopo, prudentiam & devotionem tuam diligentius attendentes, & tuis petitionibus nostrum facillè præbentes assensum, Coloniensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impræsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Præterea, tua, frater Archiepiscopo, prudentia & devotione pensata, confirmamus tibi ea, quæ in privilegiis patrum & prædecessorum nostrorum habentur: videlicet crucem & pallium, suo tempore suoque loco ferendum. Concedimus etiam, & apostolica auctoritate statuimus, ut majus Altare Ecclesiæ tuæ uni, & vero Deo, in memoriam beate Mariæ Virginis, & alterum in memoriam beati Petri Apostolorum Principis dedicatum, reverenter ministrando procurent septem Canonici Cardinales Presbyteri, induti Dalmaticis, & Mitris ornatis quibus etiam cum totidem Diaconibus & Subdiaconibus, ad hoc ministerium prudenter electis, ut utantur sandalibus indulgemus, sicut a patribus & prædecessoribus nostris jam prædictæ Ecclesiæ concessum est per authentica privilegia, & hæcenus observatum. Insuper etiam auctoritatem & honorem, quem Ecclesia tua hæcenus habuisse dignoscitur, apostolicis favoris patrocinio confirmamus: videlicet ut, si quando synodus infra tuam Dioccesim a Romano Pontifice, aut a Legato ab ejus latere destinato, fuerit congregata, priorem locum post ipsum Coloniensem Archiepiscopus in synodo teneat, & in preferenda sacrorum Canonum auctoritate prior existat; ita tamen, ut sicut est prior in hac probabili dignitate, ita etiam prior polleat honestate vite, & gratia meritorum, & cujus annuntiaverit verba, imitetur exempla. Consecrationem quoque Regum infra limites tuæ Diocesis stendam, præsentis scripti auctoritate censemus; & ut electio Archiepiscopi secundum statuta Canonum a filiis præscriptæ Ecclesiæ celebretur, per hujus scripti paginam duximus statuendum. Ad hæc Monasteria, Ecclesiæ, Colonie positas, & omnia sacra loca, infra & circa Urbem Coloniam, ad jurisdictionem Colonienfis Ecclesiæ pertinentia, monetam prædictæ Civitatis, telonium, forum, & omne jus civile sub potestate tua & successorum tuorum: Abbatis per diversa loca, villas, vicos, & castella cum omnibus eorum pertinentiis, servis videlicet, ancillis, terris cultis & incultis, aquis, pratis, campis, silvis, forestis, nec non etiam Comitatus in Westphalia, quæ vulgariter Gograrhophæ dicuntur, & alodia, Dulberg, Hachen, Marchan, Wassenberg, sicut hæc omnia rationabiliter possides, tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus. Illud quoque statuimus, ut sicut nullus Coarchiepiscoporum tuorum est tibi subje-

Ecclesiam hanc sub protectione Sedis Apost. recipiam;

Eique bona omnia.

ac privilegia Archiepiscopis ab Antecessoribus Pontificis concessis, confirmat. Septem Canonici majores hujus Altari ministrantibus Dalmaticæ, ac Mitræ usus concedit.

In Synodis iudici a Summis Pontificibus vel ejus de latere Legatis habendis faciendum Archiepiscopi locum adferit.

Regum consecrationem Archiepiscopo electionem Canonic. concedit. Ecclesiasticam ac temporalem potestatem in ipsa Civitate Ecclesiæ, Monasteriis etiam subiectis etiam cum jure concedendi monetas confirmat.

Archiepiscopum a cuiuscumque Primatus subjectione eximit.

Actus,

Solita consuetudine.

S. R. Ecclesiæ Card. sub- scriptiones.

Dat. die 29. Junii an. Dñi 1179. Pontif. anno XX. 1. leg. XI. 2. leg. XX.

Ex Biblioth. Benev. editi Ug. Ital. Sac. 2. VIII.

Assignatio bonorum.

Actus, ita etiam tu sub nullo Primatu debeas esse: salvâ tamen nobis in te, sicut in cæteris Archiepiscopis, subjectione, quæ apostolicæ auctoritati debetur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, nec ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiove commonita, nisi satisfactioe congrua id emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem Ecclesiæ iusta servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

- EGO ALEXANDER Cathol. Eccl. Episc.
- Ego Ubaldu Osiens. Episc.
- Ego Joannes Presb. Card. SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii.
- Ego Boso Presb. Card. S. Pudentianæ tit. Past.
- Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Susannæ.
- Ego Jacintus Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.
- Ego Arditio Diac. Card. S. Theodori.
- Ego Cintius Diac. Card. sancti Adriani.
- Ego Ugo Diac. Card. S. Angeli.

Datum Laterani, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, XIII. Kalendas Julii, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIX. Pontificatus verò D. Alexand. PP. III. anno XIX.

C.

Assignatio nonnullorum pro sustentatione Lombardi, qui Beneventanum Archiepiscopatum dimisit.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, ven. fratri Lombardo quondam Archiepisc. Beneventano, salutem & apostolicam benedictionem.

Venientibus ad præsentiam nostram quibusdam de majoribus Beneventanæ Ecclesiæ Canonicis, & pro parte sua & aliorum nobiscum de ordinatione ipsius Ecclesiæ diligentem tractatum habentibus, nos volentes necessitati tuæ secundum facultatem ejusdem Ecclesiæ honestè prospicere, de communi fratrum nostrorum consilio tibi molendinum in pede Suburbii situm, de quo sex coscinos frumenti unoquoque mense, & alia quædam proveniunt, ita quod de cellario vel aliunde, si quid defuerit de sex coscinos, suppleatur, & sexaginta faucas puri vini per annum cum vegetibus, in quibus possit reponi: quadraginta & octo romanatos de Paradiso & de Al-

tari tantum, quod viginti quatuor unciarum auri compleat, de consensu ipsorum Canonicorum concessimus, toto vitæ tuæ tempore annuatim cum integritate habenda. Addimus postea, prædictis Canonicis præsentibus, ut faumar, quem habueris pro lignis ferendis, annonæ de Ecclesia ministraretur. Indulgemus etiam tibi, ut de libris tuis & indumentis disponendi quidquid volueris in vita & morte plenam habeas potestatem. Statuimus etiam, ut domus de Turricella tibi ad habitandum ibi, quandiu vixeris, assignetur. Ut autem hæc nostra concessio & dispositio firma & illibata permaneat, eam apostolica auctoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis seu confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli se noverit incursum. Amen. Amen. Amen.

- EGO ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
- Ego Ubaldu Osiens. Episc.
- Ego Petrus Tusculan. Episc.
- Ego Arduinus Presb. Card. S. Crucis in Hierusalem.
- Ego Matthæus Presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli.
- Ego Laborans Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu.
- Ego Gratianus Diac. Card. sanctorum Cosmæ & Damiani.
- Ego Jo. Diac. Card. S. Angeli.
- Ego Matthæus Diac. Card. S. Mariæ nove.
- Ego Bernardus Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Dat. Signia per manum Alberici S. R. E. Presb. Card. & Cancell. VI. Kal. Aug. Ind. XII. Incarn. Dom. ann. MCLXXIX. Pont. verò Dom. Alex. PP. III. anno XX.

C I.

Privilegium Archipresbitero, Præposito, & Canonicis Ecclesiæ Ferrariensis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Widoni Archipresbytero, Præposito, & universis Canonicis Ferrariensis Ecclesiæ, tam præsentibus quam futuris canonicè instituendis, in perpetuum.

PIÆ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut & devotionis sinceritas laudabiliter emittat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ferrariensem Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, & quæcumque bona, vos & eadem Ecclesia impræsentiarum iustè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis,

Alexandri PP. & S. R. E. Card. sub- scriptiones.

Dat. die 27. Julii anno Dom. 1179. Pontif. anno XX.

Ex Archiv. Canon. editi Ug. Ital. Sac. 2. om. II.

Exordium.

Ferrariensem Eccl. sub- protectione Sedis Apost. recipit.

Bonaque omnia ejus confirmat Canonicis.

Præ-



præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Villam videlicet, quæ dicitur Quartifana, fundum contra Padum, locum Cucula, caput Redæ, villam quæ dicitur Baniolum, fundum Burduragum, villam quæ dicitur Quartatica, fundum Pecorile, & villam quæ dicitur Fossa-nova, cappellam sancti Marci ibidem sitam, Pilearitam, quæ dicitur Mortitium, Ecclesiam sancti Michaelis cum suis pertinentiis, cappellam sancti Stephani cum pertinentiis suis: in burgo Ferrariæ, cappellam sancti Jacobi in civitate Ferrariæ, cappellam sancti Petri & S. Salvatoris sitas in castro ejusdem Ferrariæ cum omnibus pertinentiis suis, cappellam sanctæ Mariæ Magdalene & sancti Viti, quæ est in Mercato Ferrariæ, sancti Leonardi, Corrigium Stadii totum, medietatem Lendenariæ majoris & minoris, Cocolariam Lami piscariam, Zemedelle mansum in capite Sandali positum, mansum de portu Vetrariæ, mansum Gamolagæ, medietatem fundi Bucentulæ, fundum Bagnoli, Lamas communes, medietatem fundi Gallinarii, medietatem fundi Purpurariæ, portum capitis Redæ, terra quæ quæ fuit de Ajacha, positam in villa quæ dicitur Zuccula, mansum unum in fundo, qui dicitur Duce: Insuper etiam medietatem totius decimationis plebis sancti Georgii in Episcopo Ferrariæ, medietatem omnium rerum, quæ pro animabus fidelium defunctorum eidem Ecclesiæ relinquuntur tam mobilium quam immobilium, totam decimam ville, quæ dicitur Cocomarium, & cetera, quæ eidem Canonice justè pertinent in terris, vineis, pratis, agris cultis & incultis, acquis, in piscationibus, venationes etiam, & molendina, servos & ancillas, & duodecim homines illius loci, qui vos navigio ferant, quodcumque usus vester fuerit absque omni pretio. Ad hæc adjicientes statuimus, & auctoritate apostolica prohibemus, ne cui liceat, clericos cappellarum, quæ ad jurisdictionem vestram tantummodo pertinent, vobis invidis, interdicto vel excommunicationi subicere, aut aliis indubitata molestatione gravare; sed vos liberam dispositionem, ordinationem, & correctionem cappellarum, & clericorum ipsorum sine contradictione qualibet habeatis, sicut usque ad tempora presentis Episcopi vestri habuistis. Præterea presentis pagina duximus statuendum, ut nullus extra voluntatem vestram infra civitatem vel suburbia vestre civitatis baptizare, ungere, secundum institutionem ab Azone olim Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & tunc Apostolicæ Sedis Legato, cum consilio & assensu Land. quondam Episcopi factam, & hætenus observatam, vel publicas poenitentias dare præsumat. Quartam verò partem decimarum, quæ in parochia vestra vobis noscitur de jure competere, nullus vobis subtrahere, vel violenter detinere præsumat. Nihilominus etiam auctoritate apostolica prohibemus, ne aliquis Parochianos vestros, quos cum auctoritate Episcopi vestri excommunicationi vel interdicto canonice subjeceritis, ad divina officia vel sepulturam ante absolutionem recipere audeat. Ad hæc vobis duximus indulgendum, ut si Episcopus vester humiliter requisitus, invasores perturbatores aut detentores possessionum vestrarum infra triginta dies noluerit ecclesiastica sen-

Clericos Ecclesiæ hujus soli Capitulo subiectos declarat.

Sacra, quæ pergere eodem in casu solo interdicit.

Nonnulla concedit Privilegia.

tentia coercere, nisi manifesta & rationalis causa præpediat, liceat vobis, in eisdem auctoritate nostra, secundum qualitatem & quantitatem excessus, excommunicationis vel interdicti sententia promulgare. Constitutionem autem, quam prædictus Cardinalis cum consilio & assensu prædicti Episcopi super testamentis defunctorum rationabiliter fecisse dignoscitur, & venerabilis frater noster Am. vester Episcopus approbasse, ratam & firmam habemus, & eam perpetuis temporibus inconcusam manere sancimus. Decernimus quoque, ut nulli omnino hominum liceat, præfatam Canonicam temerè perturbare; aut ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, vestris & aliorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Ferrariensis Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur &c. Cunctis autem &c. Amen. Amen.

ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episc. Ego Ubaldu Ostiensis Episc.

Ego Gualterius Sabinensis Episcopus.

Datum Venetiis III. Kal. .... anno Dom. Incarnationis MCLXXIX. .... manu .... getentis ..... Domini Alexandri Papæ III. anno .... Indict. ....

Alexandri PP. subscriptio.

Dat. anno Dom. 1179. Pontif. anno XX.

CII.

Alphonso Portugallensi Duci Regius Titulus conceditur, ejusque Regnum sub protectione Sedis Apostolicæ suscipitur.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio Alfonso illustri Portugallensium Regi, ejusque hæredibus, in perpetuum.

Philip. Pruden. Disputat. l. Lib. V.

Manifestis comprobatum est argumentis, quod per sudores bellicos & certamina militaria inimicorum christiani nominis intrepidus extirpator, & propugnator diligens fidei christianæ, sicut bonus filius & Princeps Catholicus, multimoda obsequia matri tuæ sacrosanctæ Ecclesiæ impendisti, dignum memoria nomen & exemplum imitabile posteris derelinquens. Equum est autem, quod quem ad regnum & salutem populi ab alto dispensatio celestis elegit, Apostolica Sedes affectione sincera diligit, & justis postulationibus studeat efficaciter exaudire. Proinde nos attendentes personam tuam prudentiâ ornatam, justitiâ præditam, atque ad populi regimen idoneam, eam sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus; & Regnum Portugallense cum integritate honoris, Regni dignitate, quæ ad Reges pertinet, necnon, & omnia loca, quæ cum auxilio celestis gratiæ de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus sibi non possunt christiani Principes circumpositi vindicare, Excellentie tuæ concedimus. & auctoritate apostolica confirmamus. Ut autem ad obsequium beati Petri Apostolorum Principis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vehementius accendaris, hæc ipsa præfatis hæredibus tuis duximus concedenda: eoque super his, quæ concessa sunt, Deo propitio, PRO

Regem Portugallensem cum eisdem Regis subsecundis Apostolicæ protectione suscipit.

CIII.

Privilegium Monopolitanæ Ecclesiæ.

Quæ laudantur hæc Privilegia, ab Antecess. Pontificibus huic Ecclesiæ concessa, suis locis reddidimus.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerab. fratri Stephano Monopolitano Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituentis, in perpetuum.

Ex Antigrapho in Archivis hujus Civitatis edit. Ughell. l. Sac. T. I.

Exordium

Monopolitanam Ecclesiam sub protectione Sedis Apostolicæ recipiens.

Non omnia ac donaciones eidem confirmat.

pro injuncti nobis Apostolatus officio defendemus. Tua itaque intererit, fili charissime, ita circa honorem & obsequium Matris tuæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ humilem & devotum existere, & sic te ipsum ejus opportunitatibus, & dilatandis Christianæ Fidei finibus exercere, ut de tam devoto & glorioso filio Sedes Apostolica grataletur, & in ejus amore quietat. In indicium autem, quod præscriptum Regnum beati Petri juris exiit, pro amplioris reverentiæ argumento statuisi duas marchas auri annis singulis nobis nostrisque successoribus perfolendas: Quem utique censum ad utilitatem nostram & successorum nostrorum Bracharenfis Archiepiscopo, qui pro tempore fuerit, tu & successores tui curabis assignare. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, personam tuam aut tuorum hæredum, vel etiam præfatum Regnum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem Regno sua jura servantibus sit pax Domini Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Consuetudines conclusiones & clausule.

Alexandri PP.

S. R. E. Card. subscriptiones.

EGO ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episc. Ego Ubaldu Ostiensis Episc. Ego Theodinus Portuensis, & S. Rufinæ Episc. Ego Petrus Tusculanus Episc. Ego Joan. Presb. Card. SS. Jo. & Pauli tit. Pamm. Ego Joannes Presb. Card. S. Anastasiæ. Ego Joannes Presbyter Cardinalis sancti Marci. Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Sufannæ. Ego Vivian. Presb. Card. S. Steph. in Coelio monte. Ego Cintius Presb. Card. tit. S. Cæciliæ. Ego Ugo Presb. Card. tit. S. Clementis. Ego Arduinus Presb. Card. tit. S. Crucis in Hieruf. Ego Matthæus Presb. Card. S. Marcelli. Ego Jacintus Diac. Card. S. Mariæ in Cosm. Ego Ardicus Card. S. Theodori. Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in Porticu. Ego Raynerius Diac. Card. S. Georgii ad Vel. aur. Ego Gratianus dictus Card. SS. Cosmæ & Damiani. Ego Joannes dictus Cardinalis S. Angeli. Ego Rainerius dictus Card. S. Adriani. Ego Matthæus dictus Card. S. Mariæ novæ. Ego Bernard. S. Nicolai in Carc. Tull. dictus Cardinalis &c. (a)

(a) Baronius circa hæc anni 179. de hoc Diplomate sic differt: Hoc eodem anno Alphonfus Primus Rex Portugallie ab Alexandro Papa titulum Regis accepit ob res adversus Arabes præclare gestas &c. & post nonnulla subiicit: Extra de his Diploma ejusdem Alexandri Papæ in Tauri de Tombo dicta, in qua asseruntur monumenta Regum. Auctor autem Dissertationum, quibus Philippus Prudens (Secundus Hispaniæ Rex) Lusitaniæ Rex legitime & legitime contendentur, idem Diploma laudatum in Turris asseruntur ab Antonio Brandame in Monarch. Lusit. 1. Part. fol. 297. publicatum asserit. Quam decorum Christianis Principibus æque ac Sede Apostolice hujus generis monumenta colligere possemus: Bull. Rom. Tom. II.

EX injuncto nobis Apostolatus officio fratres & Coepiscopos nostros, tam vicinos quam longe positos, sincero cordis affectu diligere debemus, & Ecclesiis, in quibus Domino militare noscuntur, suam dignitatem & justitiam conservare. Equum tamen & rationale est, ut qui B. Petro ejusque Vicariis devotiores esse noscuntur, & S. R. E. patrocinio cupiunt confoveri, ejusdem pie matris uberibus foveantur, & in suis rationabilibus petitionibus exaudiantur. Quapropter, ven. in Christo Fr. Episcopo, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Monopolitanam Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dignosceris, quæ juris & proprietatis B. Petri Apostoli existit, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memorie Urbani, Paschalis, Calixti, Honorii, & Eugenii, Romanorum Pontificum, sub ejusdem Apostoli tutela, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Satuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impresentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alius justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum, in quo præfata Ecclesia constructa est, cum domibus, appenditiis, & omnibus tenementis suis, cum hominibus quoque affidatis, Judæis, & certis justitiis, quas in eadem civitate habet: in eadem Civitate Ecclesiam S. Leonis cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Petri mediæ Civitatis cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Salvatoris cum vineis & certis pertinentiis suis, Ecclesiam S. Petri de Palatolo cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Thomæ cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Damiani cum omnibus pertinentiis suis, item Ecclesiam S. Scholasticæ, Ecclesiam S. Nicolai de Pinna, Ecclesiam S. Benedicti de Græcis, Ecclesiam S. Angeli Monialium cum jure Parochiali & canonico Cathedralico: Extra verò Civitatem, Ecclesiam S. Basilii cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Petri cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Angeli S. Crucis cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Angeli in Suburbio cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Zachariæ cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Lucie cum casali suo, Ecclesiam S. Cataldi cum casali suo, Ecclesiam Sancti Simonis cum casali suo, Ecclesiam S. Mariæ de Sermito cum casali suo, Ecclesiam S. Nicolai de Cisternino cum casali suo, Ecclesiam S. Mariæ de Bernis cum casali suo, casale quod dicitur Talona, Ecclesiam S. Petri de Ottava

M m m cum